



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 256. Quid præterea notandum sit circa torturam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

§. VI. Hactenus dicta de non repetenda tortura, 1462  
valent, qualiacumque sint crimina, de quibus quæ-  
ritur, *Spe d. 21.*, Leges enim prohibentes repeti tor-  
turam sine novis gravioribus indiciis non disting-  
unt inter crimina, & par aut etiam major est ratio  
de omnibus etiam exemptis vel occultis criminibus,  
ut à simili colligitur ex dictis n. 1454.

§. VII. Causæ, ob quas accusati quandoque sæ-  
pius acerbiusque torquentur, sunt sequentes, 1.  
Quia Judices credunt sibi dedecori esse, quod com-  
prehenderint aliquem, quem probare non possint  
nocentem. 2. Quia etiam lictores timent dedecus, ac  
si imperitè functi sint arte suâ, si confessionem non  
extorserint: patet autem has causas esse iniquissimas,  
ut recte *Spe q. 22.*

Q. 256. Quid præterea notandum sit circa tortu. 1464  
Nam. R. Seqq.

§. I. Illæ torturæ sunt injustæ, quas sustinere  
est reo moraliter impossibile spectatâ naturâ & viri-  
um complexione: unde non possunt Judices ex con-  
fessione ita injustè extorta procedere, ut dictum est  
n. 1460., & cum communî docent *Laym.* & *Busenb.*  
relatus n. 1440. Etiam vetat *Paulus III.* in bullâ  
*Ad onus 44.* §. 6. p. 1. Bullarii apud *Cherubinum*  
pag. 560. reum in tortura detineri per longum tem-  
pus, quale est unius horæ. Recte dicitur l. *De mino-*  
*re,* §. 3. ff. de quæstionibus, *Tormenta adhibenda*  
*sunt, non quanta accusator postulat, sed ut mode-*  
*ratæ rationis temperamenta desiderant.*

§. II. Si aliquando ante torturam radi debeat  
accusato pili, eò quod adsit prudens suspicio, quod  
maleficium sit pilis alligatum, fieri id debet à perso-  
na ejusdem sexus, tum quod pericula peccatorum, si id  
alteri sexui permittatur, tum etiam quia alias con-  
tra charitatem sit verecundo reo longè gravior mo-  
lestia, *Spe dub. 31.* CCC 5      §. III.

**1466** §. III. Potest reus aliquando justè appellare à decreto torturæ, uti ex l. 2. Cod. de appell. recip. probant Bartol. Bald. Marsil. Cotta, Gom. aliique communiter cum Farinac. q. 38 n. 10. & cum Spe d. 18. Coroll. 12. Quod si Judex non obstante hæ appellatione ad torturam processerit, & per hanc à reo confessionem extorserit, talis confessio nulla est, adeoque non sufficit ad condemnationem, uti iidem sentiunt apud Farin. n. 17. & 22.

*Q. 257. An Iudex posset in quocumque criminis interrogare de complice. R.*

**1467** §. I. Non potest nominatim interrogare de hoc vel illo, id enim prohibet l. 1. ff. de quæstion. §. 21. qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter, quis fecerit: alterum enim magis suggesterentis quam requirentis videtur; & ita divus Trajanus rescripsit: ideim cautum est in Constit. pœnali Carolina cap. 31. §. 1. Similiter iniquum est, si licet vel alius homini torquendo dicat hunc vel illum de eodem crimen jam diffamatum esse, hoc enim etiam est suggestere, quem accusare debeat, ut tormenta declinet.

**1468** §. II. Posse Judicem generaliter interrogare de complicibus, habet communis sententia cum Hahn. de just. T. 6. n. 281. & Gob. in Exp. t 2. n. 163. in app. litt. b.: Et ita fieri circa maleficos vult L. finis Cod. de malef. & mathem., idem autem est de aliis criminibus saltem valde noxiis Reip. Et quamvis id videatur à jure Canonico non approbari, tamen consuetudinem præscriptissime putant Hahn. & Gob. supra.



ARTL